


C
BX 1936
F4
1858
V. 3



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

Ex typis MIGNE, an Petit-Montrouge.

BIBLIOTHECA

F. LUCII FERRARIS.

D

DAMNIFICATIO, DAMNUM.

SUMMARIUM.

1. Damnificatio est duplex, lucrosa, et non lucrosa. Quæ sit damnificatio lucrosa. — 2. Quæ sit damnificatio non lucrosa. — 3. Damnificatio non lucrosa dividitur in Inculpata, et Culpata, culpa vel Theologica, vel Civili tantum. Quæ sit damnificatio culpata Theologica. — 4. Ex hac damnificatione culpata culpa Theologica oritur obligatio restituendi, seu damna resarciendi. — 5. Et talis obligatio, etiam ante litis contestationem, damnificante defuncto, transmittitur ad ejus hæredes. — 6. Quid sit damnificatio culpata culpa Civili, vel politica tantum. — 7. Ex hac damnificatione culpata culpa Civili, seu juridica tantum, oritur pro foro externo obligatio resarciendi damnum, etiamsi culpa esset levissima ad. n. 8. — 9. Damnificatio inculpata, quæ sit, et quando dicatur. — 10. In foro conscientie tenetur quis ad

(1. Damnificatio est duplex, lucrosa, et non lucrosa. Damnificatio lucrosa est damnum datum in rebus externis cum iniqua ærum usurpatione, ut fit in furto, rapina, aliisque iniquis usurpationibus, in quibus fur, vel iniquus invasor rem alienam invadit, et lucrum capturus in suum usum convertit. (2. Damnificatio non lucrosa est damnum in bonis externis proximi absque eorum usurpatione, id est absque eo quod aliquod commodi, seu lucri exinde perveniat ad damnificantem, ut fit cum quis ædes, vel segetes proximi incendit, ejus animalia interficit, etc.

(3. Damnificatio non lucrosa dividitur in inculpata, et culpata; culpa vel Theologica, vel Civili tantum. Damnificatio culpata culpa Theologica, et proprie dicto peccato dicitur, qua damnum quis infert proximo, vel ex directo proposito ei nocendi, vel nolendo, cum possit, ac debeat, abstinere ab actione includente perfectum ei inferendi damni periculum; vel non impediendo ei damnum inferri, cum possit, et ex justitia teneatur impedire; c. *Si culpa 9, de injuriis, et damno dato.* (4. Et ex hac damnificatione culpata culpa Theologica oritur obligatio restituendi, seu damni resarciendi, ut expresse

FERRAR. III.

reparandum damnum alteri illatum, nedum per damnificationem culpa Theologica, sed etiam per damnificationem culpata culpa Civili, seu juridica lata. — 11. Nemo (præscindendo a contractu) tenetur in conscientia ante sententiam Judicis ad resarciendum damnum alteri illatum per damnificationem realem, seu juridicam solum levem, vel levissimam. — 12. Affertur instantia, et solvitur. — 13. Incapaces doli, seu culpæ Theologicæ, in nullo foro tenentur ad resarciendum damnum. — 14. Sic nec tenentur ad resarciendum damnum, qui adhibuerunt debitam diligentiam pro illo avertendo. — 15. Sic nec tenentur ad damnum resarciendum, qui illud causerunt utendo jure suo. — 16. Sic in nullo foro tenetur aliquis resarcire damnum, quod casu omnino fortuito, qui prævideri, et evitari non potuit, contingit. — 17. Recensentur causæ, pro quibus licitum est quandoque Damnum rebus inferri.

loquitur textus in dict. cap. *Si culpa*, ibi: « Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc, imperitia tua sive negligentia, evenerunt, jure super his satisfacere te oportet. Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam. » (5. Et talis obligatio etiam ante litis contestationem, damnificante defuncto, transmittitur ad ejus hæredes; c. *Paroch. 14, de Sepulturis*, etc. In littera 5, *de Raptore*.

(6. Damnificatio culpata culpa civili, vel politica tantum dicitur, qua seclusa omni voluntate nocendi proximo, omnique actione, vel omissione culpabili coram Deo, ac in conscientia, nihilominus damnum proximo infertur ex actione, vel omissione culpabili, vel defectuosa contra exactum modum agendi humanum. (7. Et ex hac damnificatione culpata culpa civili, seu juridica tantum, oritur pro foro externo obligatio resarciendi damnum, etiamsi culpa esset levissima, textu expresso leg. *In fine*, ff. ad legem Aquiliam, ibi: « in Lege Aquilia etiam levissima culpa venit; » quia potior debet esse causa ejus, qui damnum absque omni culpa patitur, quam alterius, qui sua



culpa damnum intulit, etsi forsitan levissima; cum in l. *Factum*, ff. de *Regul. juris* expresse habeatur, quod *factum cuique suum, non alteri nocere debet*. (8. Unde si animal tuum absque alia culpa tua damnum alicui intulit, v. g. percutiendo, vel occidendo animal proximi, aut segetes depascendo, teneris pro noxa damnum illatum resarcire, vel dare damnificato illud animal, quod damnum intulit, l. 1, ff. *Si quadrupes pauperiem*. Si mancipium tuum ex sua, sed absque culpa tua, intulerit damnum, teneris pro noxa tradere mancipium, vel totum damnum reparare, 2. Instit. ff. et Cod. de noxalibus actionibus. Si per incuriam non extinxisti ignem, ex quo fuit domus combusta, teneris ad reparandum damnum; arg. leg. *Si servus*, § *Si fornicarius*, ff. ad l.

(1) In libris Pandectarum lib. 9, tit. 4, titulus prostat, *Si Quadrupes pauperiem fecerit. Tit. 5. De his qui dejecerint, vel effuderint*. Ac de Noxalibus actionibus, tit. iv, laud. lib. ix, ubi variis legibus cavetur; quod si quadrupes pauperiem (h. e. damnum sine injuria facientis datum, uti exponit Ulpianus leg. 1, tit. laud.), fecisse dicatur, jubet legum auctoritas, aut dari id, quod nocuit, id est animal quod noxiam (h. e. delictum) commisit; aut aestimationem noxæ offerre. Et tit. 3: *De his qui dejecerint*, etc., decernitur: unde in eum locum, quo vulgo iter fiet, vel in quo consistetur, dejectum, vel effusum quid erit, quantum ex ea re damnum datum, factumque fuerit, in eum, qui ibi habitaverit in duplum iudicium dandum. Et tit. 4. de *Noxal. Action.* Noxales porro Actiones appellantur, quæ non ex contractu, sed ex noxa ac maleficio servorum adversus nos instituuntur; quarum actionum vis et potestas hæc est, ut si damnati fuerimus, liceat nobis deditione ipsius corporis, quod deliquerit, litis aestimationem evitare (leg. 1, tit. laud.). In hisce ergo illud nobis accurate inspicendum erit, quando ex hujusmodi damnis domini, aut habitatores ad illorum reparationem astringantur in foro præsentium conscientiarum. Quæ quidem, quia paulo obscurius ab Auctore nostro indicantur, ideo enucleatius erunt nobis tradenda. Itaque,

Dico I. Spectato jure naturali, paterfamilias, aut dominus ad illud tantummodo reparandum damnum erit astringendus, cujus ipse voluntaria causa extitit per injuriam. Quando enim animal, aut mancipium nocuit, quod ut a nocendi periculo possit avertere, nihil debite intermiserat paterfamilias diligentia, quidquid damni secutum inde fuerit, ipsi voluntarium censeri non potest; ac proinde jure naturæ ab omni culpa, et poena reparationis immune. Hinc si animal ferum, quod custodia inclusum, et catenis illigatum detinebatur, disruptis vinculis, e custodia emerisset, damnumque aliis attulerit, istud a domino reparandum non erit; siquidem, licet ille, qui occasionem damni dat, damnum videatur dedisse; secus tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, nihil omisit de contingentibus. Cap. *Si culpa ult. de Injuriis*, et vide Pontas in suo *Dictionar. Casuum Conscient.* V. *Restitutio Cas.* 173. Gabrielem Antoine, aliosque.

Dico II. Spectato jure positivo, si nulla intercesserit domini, aut patrifamilias culpa, causam aut occasionem præstans damno alieno; hæc in hypothese ad illud præstandum non tenetur, nisi post Judicis sententiam.

Dixi post *Judicis sententiam*. Etenim hujusmodi leges non videntur receptæ cum tanto rigore, ut quisque teneatur ante iudicis sententiam ad subeundam poenam in reparationem damni, aut illam in semetipso exequendam, propter actionem, quæ cul-

Aquiliam. Si inconsiderate nullo dato prius signo aliquid dejecisti ex alto, vel de domo, aut navi projecisti, unde alicui transeunti, aut adstanti damnum est illatum, teneris ad resarcendum; l. 3, *Statuitur* 4. Instit. l. *Stipulator*, ff. ad Leg. Aquiliam, in qua expresse dicitur: *Culpam esse, quod cum a diligente provideri poterit, non esset provisorum*. Sic Caupo, Nauta, Stabularius, etc., in cujus domo, navi, stabulo, etc., furtum est factum, tenentur ad reparandum damnum causatum ab iis, quorum opera usi sunt; l. *Item exterior* 3. Instit. de *Obligat. ex quasi delicto*, leg. ultim. ff. *Nautæ, Caupones, Stabularii*, etc. Et sic de aliis hujusmodi (1).

(9) *Damnificatio inculpata dicitur, quando nulla omnino culpa interveniente damnum infertur; vel quia damnificans non est capax*

pæ adscribi non potest. Rem enim, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit; uti legum præscripto edocemur. Ita gravissimi Theologi, atque Canonici juris interpretes. Lege Pontas verbo *Restitutio, Casu* 170 et 171. Cum vero Judex suæ sententiæ auctoritate dominum, aut patremfamilias ad reparationem damni adstringat; etiamsi nulla ipsorum culpa, aut incuria intercesserit, unde consecutum damnum dici possit; nihilominus ipsi in foro conscientiarum obtemperare tenentur justæ iudicis sententiæ, damnum irrogatum reparando, aut ipsum animal exhibendo. Hujusce autem rei ea est ratio, quia iudicis isthæc sententiæ non innititur, aut fundatur in præsumptione culpæ, aut negligentia; sed in legibus, quæ ita sanxerunt, ut communi bono, et publicæ civium tranquillitati prospiceretur, ac domini ipsi inde diligentius caverent, ne per suos damnum aliis inferretur. Vide Pontas *loc. cit.* Antoine Tractat. de *Justitia et Jur.* cap. 3, qu. 44.

Dico III. Si reapse neque per tuum animal, aut mancipium alteri damnum fuerit importatum; sed omnino aliunde, tunc sane neque in conscientiarum foro adstringi poteris aut ad resarcendum damnum, aut ad ipsum animal vel mancipium exhibendum: neque etiam iudicis accedente sententiæ. Judex siquidem hæc in hypothese falso præsumit detrimentum, aut damnum fuisse irrogatum a tuo animali, vel mancipio; quapropter peccati reus non reputaberis, si remoto scandalo, hujusmodi poenæ non commerita te subdlexeris. Præsumptio enim, cedit veritati in foro conscientiarum, uti unanimi consensu docent Theologi.

Demum animadvertendum discrimen inter animalia, quæ naturali feritate commota noxiam, sive damnum inferunt, et illa quæ præter consuetudinem cæterorum ejusdem speciei animalium, sed tamen sua sponte nocent. Etenim in istis tantummodo, uti docet Ulpianus, hujusmodi, de qua diximus, actio locum habebit. In bestiis vero, quæ propter naturalem feritatem damnum afferunt, hæc actio cessabit; leg. *Si Quadrupes* 1. ff. *Si quadrupes pauperiem*, etc. § 10. Quare si ursus aufugerit, ac proinde nocuisse noscatur, non poterit quondam ejus dominus conveniri, quia desinit dominus esse, ubi fera evasit. Leg. *Quod enim* 3. § 2. ff. de *Acquirend. rer. Domin.* Ubi tamen id accidisset propter incuriam ipsius domini, tenebitur iste irrogatum quodecumque damnum reparare; neque sufficit animal ipsum, si adhuc forte retinetur, exhibere ad sui liberationem. Hinc perquam recte Gregorius IX. laud. capit. ultim. Si culpa de *Injuriis*, etc. Quod tamen, inquit, ad liberationem non proficit (h. e. non sufficit exhibere ipsum animal quod nocuit) si fera animalia, vel quæ consueverunt nocere, fuissent, et quam debueras, non curasti, adhibere diligentiam. Vide Pontas *Cas.* 173. (EDIT. NEAP.)

culpæ, ut si infans vel furiosus domum incendat: cap. *Illud relatum* 2. caus. 15. quæst. 1. et leg. *Sed etsi*, ff. ad Legem Aquiliam; vel quia damnificans in præcavendo damno alterius prius omnem diligentiam adhibuit; cap. *Si culpa* 9. de *Injuriis et damno dato*, ibi: «Sane licet qui occasionem damni dat, damnum videatur dedisse, secus est tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de contingentibus nil omisit,» et § 4 et 5. Instit. de *Lege Aquilia*; vel quia justa causa est damni inferendi, ut cum domus incensa, in parte nondum ardente destruitur, aut ædes contiguæ, ne ignis latius diffusus majus damnum inferat; aut cum in bello justo hostibus damna inferuntur, quia omni jure vim vi repellere licet; l. *Scientiam*, ff. ad Legem Aquiliam, aut cum quis in suo fundo fodiens vicini fontem avertit, si non animo nocendi vicino, sed suum agrum meliorem faciendi, id facit, textu expresso in l. 1. § *Denique Marcello*, ff. de *aqua pluviali arcend.* quia nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur; l. *Nullus*, de *regul. juris: et nemo damnum facit, nisi qui id facit quod facere jus non habet*.

(10) Ex dictis colliges primo, illum teneri in foro conscientiarum ad reparandum damnum alteri illatum, qui illud causavit, nedum per damnificationem culpata culpa Theologica, et proprie dicto peccato, ut expresse statuitur cap. *Si quis* 6. cap. *Olim* 7. c. *Si culpa tua* 9. de *Injuriis et damno dato*, sed etiam per damnificationem culpata culpa civili, seu juridica lata. Et ratio est, quia culpa civilis, seu juridica lata supponit gravem culpam Theologicam, cum late culpabilis iudice omittat illam diligentiam, et cautelam communiter ab hominibus suæ conditionis adhiberi solitam pro avertendo gravi damno proximi, ad quod grave damnum proximi avertendum quilibet jure naturæ tenetur, adeoque si illam omittat, censetur causa moralis illius damni, et hoc ipso Theologicæ fit culpabilis. Ita Innocentius cum aliis interpretibus in cap. *Sicut* 6. de *Homicid.* Silvester verb. *Culpa*, n. 5. et 6. Molina disp. 353. num. 7. Palao tract. 23. disp. 3. p. 1. n. 7. et communis aliorum.

(11) Colliges secundo, neminem (præscindendo a contractu) teneri in conscientia ante sententiam iudicis ad resarcendum damnum alteri illatum per damnificationem civilem, seu juridicam solum levem, et levissimam. Et ratio est, quia si leges, et maxime citatæ supra num. 7 et 8, aliæque consimiles imponerent obligationem in conscientia solvendi ante sententiam iudicis, essent nimis rigide, attenta hominum fragilitate; et cum nemo reperiat, qui propter culpam juridicam solum levem, et levissimam sponte sua restituat, innumeros laqueos injiceret conscientiarum absque necessitate boni communis, cui sufficienter, et abunde satis fit obligando ad damna resarcienda post sententiam. Sic Lugo tom. 1, disp. 8, sect. 3, num. 47. Lessius

lib. 2, cap. 7, n. 44. Molina tom. 3, disp. 712, num. 6. Haunold tom. 2, n. 172 et 176. Esparsa quæst. 26. La Croix lib. 3, p. 2, n. 163, et alii passim. (12) Nec valet dicere, quod si tales damnificantes non tenerentur in conscientia ante sententiam iudicis, ergo neque post ipsam tenebuntur, cum potius, ipsa sententia censenda esset injusta. Non valet, inquam, quia negatur absolute consequentia; sæpe enim iudices auctoritate Legis decernunt per sententiam aliquam restitutionem, quæ ante sententiam non erat debita. Cum enim Leges statuentes debere resarciri damna illata etiam ex culpa juridica levi, et levissima, justissimis de causis sint positæ; partim ut quilibet magis invigilet, ne sua, vel suorum culpa damnum aliquod proximis inferatur, siquæ pax communis, et publica civium quies, atque indemnitas bonorum suorum conservetur, partim ut præcaveatur innumeris fraudibus, et malitiis hominum, quæ in foro externo sunt difficilioris probationis; sententia iudicis conformiter dictis Legibus lata, merito etiam in foro conscientiarum obligat, non obstante quod ante eam necdum adfuerit talis obligatio resarciendi damnum ex culpa mere civili, vel levissima, et sine omni culpa Theologica illatum.

(13) Colliges tertio, doli, seu culpæ Theologicæ incapaces in nullo foro teneri ad resarcendum aliquod damnum; cap. *Illud relatum* 2, caus. 15, qu. 1, et l. *Sed etsi*, ff. ad Legem Aquiliam. (14) Sic nec tenentur ad resarcendum damnum, qui adhibuerunt debitam diligentiam pro illo avertendo, cap. *Si culpa* 9. de *Injuriis et damno dato*, juncto § 4 et 5. Instit. de *Lege Aquilia*, cum concordantibus. (15) Sic non tenentur ad damnum resarcendum, qui illud causarunt utendo jure suo; l. 1. § *Denique Marcello*, ff. de *aqua pluviali arcend.* l. *Nullus*, de *Regul. juris*. Vide supra num. 9. (16) Sic in nullo foro tenetur aliquis resarcire damnum, quod casu omnino fortuito, qui prævideri, et evitari non potuit, contigit; c. *Cum gratia unic. de commodato*, et l. 1. § 4 de *obligat. et action.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(17) De damno, an rebus licite inferri quandoque possit, utilis est investigatio. Optime vero illustravit hoc argumentum Strykius Juridic. dissert. tom. 5, disput. 5, per tot. Octo autem sunt hujus disputationis capita totam materiam exhaurientia. Primum ita conceptum est: *Generalia Damni liciti exhibens*. Secundum: *De Damno rebus alienis licite illato in extruendo*. Tertium: *De Damno rebus alienis licite illato in destruendo*. Quartum: *De Damno rebus alienis licite illato in auferendo*. Quintum: *De Damno rebus alienis illato, intercipiendo, et avertendo*. Sextum: *De Damno rebus alienis licite illato, contrahendo*. Septimum: *De Damno rebus alienis licite illato, immittendo*. Octavum: *De Damno rebus alienis licite illato, omittendo*.

DEBITOR, DEBITUM.

Vide verb. RESTITUTIO, SOLUTIO.

DEBITUM CONJUGALE.

Vide verb. MATRIMONIUM quoad debitum conjugale.

DECANATUS SACRI COLLEGII.

Vide verb. CARDINALES, art. 2, a num. 19 ad 20.

DECANUS.

ARTICULUS UNICUS EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

SUMMARIUM.

1. ad 18. Decani nomine quid veniat apud Justinianum. — 19. ad 21. Decani in Christianis Ecclesiis. — 22. ad 24. Apud Monachos. — 25. In Cathedra-

(1. Inter Ministerianos Romani quoque antiquitus suos cognoverunt Decanos. Hinc tum in Theodosiano tum in Justiniano Codice de Decanis titulus inscribitur. Quodnam tamen exercerent munus, non satis liquet, omnesque inter se super hoc dissentiunt juris Interpretes, et Historici. (2. Cujacius eos humanis corporibus addictos putat ex Novell. 59. quem sequitur Burg. in lib. elector. cap. 14. Si tamen quod sentio licet candide proponere, aliud ex dicta Novella colligendum opinor. (3. Omisso enim examine super illis verbis relatis in d. Novella cap. 5. *Qui lecto ministrant Decani*, quæ aliud Decanorum officium videntur indicare: omisso pariter quod nomen Decani numquam humanes mortuorum corpora apud Latinos scriptores significet, (4. cum proprio appellarentur nomine aut *Copiate* ut in Cod. Theod. leg. 1. *de lustral. collat.* et leg. 15. *de Episcop. aut Vespilliones*, ut apud Martial. ep. 87. Sueton. in *Domit.* cap. 17. (5. omisso quod *Libitinarum* appellabantur, qui funerum gerebant curam. *Duaren. de instit. action.* cap. 2, tom. 3, pag. 449. coll. 2, in princ. his, inquam, omissis, non satis compertum est cur ultimum humanorum corporum Decanis tribuatur ex dicta Novell. officium, dum in eadem ante etiam Clericos, et Canonicos nominantur: (6. « Distributio fiat et Decanis, et Asceteriis, et Canonicis, et Acolythis; » iisdemque majus quam reliquis decernitur stipendium: (7. « Decanis quidem per singulos menses centum octoginta duos solidos, Asceteriis autem nonaginta duos solidos, et Acolythis nonaginta unum solidos, et Canonicis triginta et quinque solidos, » cap. 2. in fin.

(8. Asceteriæ porro vocabantur Moniales illæ quæ in funeribus psallebant. *Vicat. Vocabul. jur. verb. Asceterium.* Idemque munus exercebant Acolythis et Canonici. Dum itaque Justinianus in istorum numero primos recenset Decanos, verosimilius videtur, eos non humanis corporibus, sed parandis peragendisque defunctorum exequiis fuisse destinatos. Hinc in relata Novell. legitur

dralibus Ecclesiis. — 26. ad 31. Eorum officia. — 32. ad 34. Et jura. — 35. ad 58. Decanorum electio. — 59. ad 57. Decani rurales. — 58. 59. Sacre Rotæ Decanus. — 60. De aliis Decanis.

cap. 2. (9. « Quod hactenus datum est laborantibus circa funerum exequias deinceps detur, etc., Decanis, Acolythis, » etc. (10. Eoque rectius quia hoc Collegium a Justiniano institutum non fuit, sed longe antea in usu erat, ut ex Cod. Theod. *de Decanis.* (11. Super his alii alia docent. *Panciroli.* in not. Imper. cap. 90. hos putat fuisse Cubicularios, qui Principis personam curabant. Apud *Marcellinum* lib. 14. (12. Ministri vocantur Tori, nec ideo inverosimile est ipsos eosdem fuisse, quos Cubiculariorum Decuriones appellat *Sueton. in Domit. c. 17.* (13. De quibusdam Decanis ex Palatio missis meminit etiam *D. Ambrosius* lib. 5. p. 33.

(14. Decanus autem nuncupabatur ille qui decem præerat viris. *Veget. l. 2. cap. 7.* ideoque arbitror, nomen Decani, et Decurionis idem fuisse, ex eoque originem duxisse, quod decem præessent viris, quemadmodum Centuriones a centum viris, quibus præerant, nomen habuerunt. (15. *Varr. de ling. lat. lib. 4.* (16. Cum vero Decani numero plures essent hinc Decanorum corpus conficiebant, de quo lib. unic. Cod. Theod. *de Decan.* (17. Ex eorum Collegio quatuor creabantur *Præpositi* biennales, quo tempore elapso ad illud non revertebantur officium, sed sequentibus in ordine *Secundoceriis*, *Tertioceriis*, *Quartoceriis* locum relinquebant leg. 1. Cod. *de Decan.* ibique *Brunem.* (18. Ipsi a decem viris eorum auctoritati commissis exposcebant obsequium, in Decanos vero *Officiorum Comitibus*, vel *Magistri* jurisdictionem exercebant.

(19. Horum exemplo, ni fallor, in Christianis Ecclesiis Decani constituti sunt, quod etiam de aliis Ethnicorum consuetudinibus ad Christianorum mores accommodatis factum apparet. (20. Isti dum *Populus* publicam in die *Cinerum* susceperat, poenitentiam Clericos præcedebant, eundemque populum in Ecclesiam introducebant In die vero Paschatis eosdem similiter Ecclesiæ liminibus representabant. Cap. in capite distinct. 50. et cap. 7. *de Offic. Archidiacon.*

§ 6. (21. Eodem pariter retento nomine, introductus fuit *Præpositus*, qui caput erat *Acolythorum*, *Lectorum*, et *Psalmistarum* Cap. *Perlectis* § *Ad Præpositum* 13. distinct. 25.

(22. Monachi adhibuerunt primi Decanos, quorum plerumque numerus pro Monachorum numero insignis erat, cum ad veterum Decanorum similitudinem decem tantum Monachis præessent, ut ita exactior esset in eosdem cura. (23. Post *Abbatem*, et *Præpositum* primum obtinebant locum *Van. Espen. Jur. Eccles. part. 1. tit. 11. cap. 2. § 1.* *Thomassin. de veter. et nov. Eccles. Discipl. lib. 3. c. 66. § 8.* (24. Dum ob Monachorum numerum in eodem Monasterio plures erant Decani, eorum senior, absente *Abbate* et *Præposito*, primum dignitatis gradum consequebatur, ipsorumque universam gerebat curam.

(25. Non multo post in Ecclesiis etiam *Jathedralibus* Decanorum dignitas inter Monachos Monastico adhuc more viventes introducta fuit, qui primo *Præpositis* inferiores erant, sed tractu temporis in plerisque Capitulis cum *Præpositis*, omnia quasi omnino rerum spiritualium cura, rebus tantum temporalibus incumbere, hinc Decani Sacrorum, et discipline Ecclesiasticæ in choro præsertim curam soli exercere ceperunt. *Schmidt Thesaur. jur. Eccles. dissert. 4. § 19.* eorumque vigilantia in accurata a Canonicis exigenda Ecclesiasticæ discipline observantia adeo processit (si fides habenda est *Anton. Matthæi de nobil. lib. 2. cap. 40.*) ut interdum delinquentes fustibus quoque cædi mandarent.

(26. Quidquid tamen sit, in dubium verti nequit, quin animarum cura de jure communi illis fuerit commissa cap. 7. § 2 *de Election. et Elect. potest.* De jure vero speciali, et consuetudinario tantum in nonnullis regionibus consecuti sunt auctoritatem, ut in multis actibus Episcopalem quasi adæquent jurisdictionem. (27. In Ecclesiis quippe Gallicanis, Decanum ex consuetudine habere jurisdictionem in Capitulum, et in magnam partem Cleri, testatur *Van Espen. Jur. Eccles. l. 1. tit. 11. cap. 2. num. 6.*

(28. Idem refert de plerisque Hispaniæ Capitulis *Fagnan. in cap. Irrefragabili* 13. § *Excessus de offic. Judic. ordin.* num. 21. (29. Ita et causas in prima instantia cognoscunt, licet hac de jure communi sint jurisdictioni destituti, *Van-Espen. jur. Eccles. part. 1. tit. 4. cap. 5.* (30. Quas tamen hoc non obstante privilegio definire nequeant controversias statuit *Concil. Trident. sess. 24. cap. 20. de reform.* (31. Cæterum particularia proprii Capituli negotia gerunt, uti speciale Canonicorum caput illos convocant, directorum habent, eorum vota exquirunt cum iisdem deliberant, et inde decretum signant, quin hodie in plerisque saltem Capitulis, *Præpositus* nisi vocatus interveniat *Schmidt. d. Thesaur. Jur. Eccles. dissert. 8. § 11. in not. Thomassin. loc. cit.*

(32. In Ecclesiis *Trevirensibus* *Parochi* infra annum a die electionis juramentum

Decanis præstare debent, ipsis obedientiam polliceri, et alia quamplurima tum a *Parochis* tum a *Clericis*, sive *Beneficiatis* sive non, sive *Regularibus*, sive *Sæcularibus* solent præstari. (33. *Parochiales Ecclesias* Decani quotannis visitant, quod privilegium, ubi consuetudo legitime introducta vigeat, confirmavit *Concil. Trident. sess. 24. cap. 3. de reform.* Quæ in universa pene Germania observatur consuetudo, et alia plura videntur apud *Schmidt. d. Thesaur. jur. Eccles. dissert. 8. a § 7. ad fin.* (34. His autem seclusis peculiaribus cujuscumque Capituli statutis, licet primum obtineant gradum in Capitulo, non tamen in suffragiis ferendis, uti et in reliquis jura habent majora, quam cæteri *Canonici*, ut de Capitulo *Osmaburgensis* Decano definiit *Sacra Rota* coram *Crispo dec. 301. n. 21.*

(35. Decanorum electio de jure communi ad *Episcopum*, et *Archidiaconum* pertinet cap. 7. *de offic. Archidiacon.* (36. De jure vero particulari, et consuetudinario ad *Capitulares Pastores*, præsertim et confirmante *Archidiacono*, vel ad *Canonicos* simul congregatos, confirmante *Episcopo* spectat. *Thomassin. de veter. et nov. Eccles. discipl. lib. 3. c. 66. § 15.* (37. Promoveri autem ad hanc dignitatem non potest nisi qui ejusdem Ecclesiæ *Canonicus* sit, et in *Presbyterum* ordinatus cap. 1. distinct. 60. « Nullus *Episcopus* in Ecclesia sua nec *Archipresbyterum*, aut *Decanum*, nisi *Presbyteri* sint, ordinare præsumat, » et cap. 2. distinct. eadem.

(38. Sed cum non in omnibus Capitulis, et Collegiatis idem eligendi modus, eademque in Decanis confirmandis adhibeantur solemnitates, de quibus *Schmidt. loc. cit. in not. ad § 23. et Vicat. Vocabular. jur. in verb. Decanus*, non eandem exercent jurisdictionem, non denique idem dignitatis gradus reputetur, ideo inspicienda in primis sunt peculiaria cujuscumque Capituli constitutiones, et consuetudines legitime introductæ, deinde consulendi erudit non minus, quam accurate de Decanis agentes *Van-Espen. Thomassin. Panciroli. Schmidt. loc. super citat. Willemberg. dissert. de Decan. Barbos. jur. Eccl. lib. 1. cap. 21. et cap. 28.*

(39. Hactenus dicta tum urbanos, tum rurales respiciunt Decanos de quibus omnitemporum non est, quoddam ruralium adhuc Decanorum in Italia superesse vestigium. Adeo in dies *Fidelium* numerus augebatur, ut propter locorum distantiam cum non ita facile *Parochiales Ecclesias* adire possent et *Ecclesiasticis* interesse officiis, (40. hinc *Alexander III.* alias erigimandaverit *Ecclesias*, et dotari ex redditibus *Ecclesiarum* actu existentium, a quibus ideo recentiores *Ecclesiæ*, (41. tum quoad electionem *Parochi*, quæ ad *Matricis Ecclesiæ* Rectorem pertinebat, tum quoad alia nonnulla obsequia dependebant c. 3. *de Eccles. edific.* (42. Tunc, ut opinor, veterum *Ecclesiarum* Rectores a recentioribus ceperunt distingui, illis dato nomine *Plebanorum*, vel *Archipresbyterorum*, prout hodie vocantur, his vero simpliciter *Parochorum*. Quamquam